Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Reden und Arbeiten der Societas Latina - Cod. Karlsruhe 3420, 1-4

57 Reden der Societas Latina - Cod. Karlsruhe 3420,3

Molter, Johann

[Karlsruhe], 1783-1800

[Hoffmann, Philipp Christian]: Ad locum Terentii, commentatus sum, 16 Sept 1797

urn:nbn:de:bsz:31-99849

Visual Library

Ad locum Terentii:

"Inspicere tanquam in speculum in
"vitas omnium jubeo atque ex aliis
"sumere exemplum sibi. Hoc facito.
"Hoc fugito. Hoc laudi est. Hoc vitio
"datur.

23
commentatus sum. die 16. Sept. 97.

Ph. Christ. Hoffmann. St. Jur. Pr.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Baden-Württemberg

Director gravissime
Socii condecoratissimi

Quodsi plurimum nostra interest nosmet ipsos perfectiores semper eoque feliciores reddere, aliorum hominum virtutes pariter et vitia diligenter observemus, necesse est. Id quod multi quidem faciunt, aliam vero atque diversam rationem secuti. Observant enim plerumque aliena vitia et alienas quoque virtutes, criminationibus illa exstracturi atque ludibriis, has vero maligno et infenso animo detracturi. Longissime absit a nobis improba istorum hominum et indigna alienam laudem imminuendi libido et alienos errores vituperandi protervitas et arrogantia. Discamus potius quamvis difficilem artem e quibuscunque aliorum sive recte sive secus factis, aliquem capiendi fructum, quo ipsi evadamus emendatiores. Adsuescamus ex aliorum exemplis regulas formare et praecepta colligere quae per omne vitae spatium permagnam afferunt utilita-

tem. Sane in eo admodum benigne natura felicitati nostrae prospexit, quod, dum inter homines vivimus, quoleacunque ab aliis aguntur, adtende considerando, occasionem amplissimam praebuit, eam nobismet sapientiam comparandi, qua ipsi a vitiis nobis cavemus et quodque bonum studiose complectimur.

Qua de re egregie Terentius:

Inspicere, inquit, tanquam in speculum, in vitas omnium jubeo atque ex aliis sumere exemplum sibi. Hoc facito. Hoc fugito. Hoc laudi est. Hoc vitio datur.

Inspicere, ait, tanquam in speculum in vitas omnium jubeo atque ex aliis sumere exemplum sibi. His verbis in universum praecipitur, ut quomodo alii se gerant, quid in ipsorum vita et moribus aut vituperatione aut laude dignum deprehendatur, quid placeat ceteris hominibus, quid displiceat, intentius intueare et contemplere; hisque bene observatis tibi demum agendi aliquam normam

constituas; prout laudabile fuerit, quod apud ceteros inveneris aut vitiosum.

Hoc ergo facito: quia bonum et rectum est. Vides hominem modeste agentem et verecunde; suae laudis neque contemtorem nec venditatorem, alienae nihil obtrectantem; non tumidum secundis rebus, haud fractum adversis; neminis provocantem injuriam, illatam placide ferentem: aequalem per omnia et constantem sibi; sollertem atque industrium; in cura et cultu corporis diligentem, non nimium, rectum et simplicem: ut qui sine pompa sapere; ad veritatem omnia, nihil ad ostentationem referre didicerit. Hunc sequere, hujus ad imitandum tibi propone exemplum; in hoc fige animum, ut par sis. Eo cum si verseris, dicta factaque singula, quin etiam ipsos sensus diligenter animadvertito, et quoad ejus fieri potest, in te exprimito.

Contra tibi occurret temulentus aliquis, sui impos, honesta atque turpia parum discriminans: ut ipsam paene humanitatem exuisse videatur. Alius, ira excandescens, truci ac

deformi vultu, in belluinam feritatem effusus, in extrema pronus, saeva patrans, ne ab ipsius quidem sanguinis haustu abhorrens. Alius libidinosus, deliciarum voluptatumque gurgite mersus; veterum mox fastidiens, novarum insatiabili siti ardens; cupiditatum intus torquentium et lacerantium turbine in diversa actus, nusquam requiescens; explendae voragini luxuriae quaeque instrumenta et ministeria frustra consumens; fortunarum suarum decoctor, sani antea corporis corruptor, coelestis neglector animi, ad egestatem redactus, macie deformitateque foedum tandem hominis simulacrum exhibens. Alius inquinatus et dissolutus inconditi et obsceni amator, indecoro et sordido habitu et omni squalore gestiens, immunditiem corporis velut nuntium impuri animi prae se ferens; lingua ferox et impudens, seque satis super alios elatum stolide existimans, si incuria et licentia morum eminuerit; quamvis cujusque bonae artis expers et turpiter nescius. <u>Hos fugito</u>, hos procul

consuetudinae tua recto, hiscum nihil rei habeto.

Monet deinde Poëta, ut bonae aliorum quoque hominum opinioni inserviamus. Addit enim hoc laudi est, hoc vitio datur; quod quidem eo fere spectat, ut ipsi quoque adsensionem et comprobationem aliorum hominum promereamur, justam contra reprehensionem quovis modo vitemus. Illud autem judicium sane non ad abjectos et deperditos homines referri debet. Neque hoc enim sentit Auctor, istorum laudationem aucupari fas esse; quam non consequaris, nisi eorum similis extiteris. Qui possis enim ab illis laudem quaerere, quorum vitam moresque ipse abominaeris?

Vera laus a probis et peritis et recti intelligentibus unice petenda est. Inprimis prudentem quemque et probum virum opinionem publicam revereri oportet. Cujus officii eae partes sunt: ne dudum placitis usuque et consensu plurimorum sancitis temere adversando; aut in vitae nostrae ratione notabilia et

singularia ambitiosius affectantes, solidi mo-
ris et priscae consuetudines contemtu, invidiam
et odium incurremus, nec nimia nostrarum vi-
rium fiducia, ex ingenii nostri modulo, subito
omnia transformare et subvertere ausi, in
in praecipitia proruentes, ipsa quoque semina
corrumpamus, quae temporum successu in salu-
berrimum fructum maturuissent. Sed et iis re-
bus quae in commune receptae et probatae sunt,
justum pretium statuamus, praesentia eaque tutio-
ra, futuris et incertis, quamvis speciosis ante-
feramus: egregiam famam dignationemque haud
ex temerariis coeptis, sed monstrata virtute, et
insignium factorum decoribus, per eosque fructu
publice meritari. Neque enim facile universa
quaedam multitudo hominum usque eo fallitur
et obcoecatur, quin verum et rectum videat,
quidque communi saluti conveniens sit, intelli-
gat. Quo fit etiam, ut quandoque in muneri-
bus publicis destinandis, praecurrens aliqua

fama, quasi designet eos, quos pares iisdem et dignos judicaverit: neque errat semper, sed quandoque eligit. Eodemque spectat, quod vulgo *vox populi*, *vox Dei* esse perhibetur: ut in ipsa hac sensuum humanorum conspiratione, judiciorumque similitudine divinum quoddam inesse credendum sit.